

fit de tribunis, iterum concessum esse. Finem non fieri posse, in eadem civitate
tribunos plebis, & patres esse: aut hunc ordinem, aut illum magistratum
tollendum esse, potiusque sero, quam nunquam obviam eundem audacia
temeritatique: illine ut impune primo discordias serentes concitent finiti-
ma bella. Deinde adversus ea quae concitauerint, armari civitatem, defen-
dique prohibeant? Et cum hostes tantum non accersierint, exercitus conscribi
adversus hostes non patiantur? sed audeat Canuleius in senatu proloqui, se,
nisi suas leges tanquam victoris patres accipi sinant, delectum haberi prohi-
biturum: quid esse aliud, quam minari se proditurum patriam? oppugnari
atque capi passurum? quid eam vocem animorum, non plebi Romana, sed
Volscis & Aequis & Veientibus allaturam? nonne Canuleio duce se spe-
ratos Capitolium atque arcem scandere posse, si patribus tribuni cum iu-
re ac maiestate adempta, animos etiam eripuerint? Consules paratos esse
duces prius adversus scelus civium, quam adversus hostium arma. Cum ma-